



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola Cl. Ioannis Papae VIII. Ad Hincmarvm Rhemorvm Archiepiscopvm.  
Vt ad Synodum Trecensem absque mora cum suffraganeis suis veniat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CI.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD HINCMARVM RHEMORVM ARCHIEPISCOPVM.

Vt ad Synodum Trecensem absque mora cum  
suffraganeis suis veniat.

*Hincmaro venerabili Rhemorum episcopo.*

FAMA tuæ fraternitatis longo exacto iam tempore bo-  
na notitia nos quoque celeberrime lætificauit: quanto-  
que te desiderio contemplari cupimus, explicare ver-  
bis nullatenus possumus, præsertim cum causa exigendæ v-  
tilitatis ecclesiasticæ petere has partes decreuerimus. Qua-  
propter præsentiam religiosæ sanctitatis vestræ diu deside-  
ratam miramur a te nobis haetenus dilatari. Vnde aposto-  
lica atque paterna auctoritate monemus, ad Synodum  
præsentem, quam Deo auctore Trecis sumus celebraturi,  
absque mora cum cunctis suffraganeis dicæcseos vestræ  
studeatis occurrere. Ad locum prænominatum iterum ite-  
rumque hortamur omni postposita tarditate quantocius  
properate venire, quoniam antequam ipse nobis carior at-  
que utilior veneris, sanctorum Dei ecclesiarum causas  
tractare differimus. Tantum monemus, rumpe moras,  
& satage properare celerrime, atque agiliter. Data vt  
supra.

EPISTOLA CII.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MIRONEM ET HVNCFRIDVM FRATRES.

Mironem & Huncfridum multorum scelerum reos ad  
Synodum venire iubet.

*Mironi & Huncrido germano suo.*

QVANTA ad apostolatum nostrum relatione quorum-  
dam transgressionum vestrarum mala atque peruersa  
fuerunt nuntiata, hæc fateor lacrymabiliter nominamus,  
apostolicaque auctoritate citissime corrigenda iubemus, si  
sancti Spiritus potestate non vis tu, Miro, merito nequi-  
tia tuæ ab omniconsortio Christianitatis separari, & infer-  
ni flammis in perpetuum condemnari. Septimaniæ terram

R iii